

hominis cum uxore, non expedit nubere; Dominus dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsum castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. Ex hoc loco tria perspicue colliguntur: 1°. Virginitatem esse conjugio præferendam; approbat enim Dominus quod dixerant discipuli, Non expedit nubere. Si non expedit nubere, ergo expedit non nubere, ut Hieronymus inquit; melior ergo virginitas nuptiis.

2°. Virginitatem esse præferendam propter regnum caelorum, id est, vitam æternam, et non tantum propter vitæ hujus commoditatem. Hæretici per regnum caelorum intelligunt prædicationem Evangelii. Sed contra. Quia sic castratio illa, quam Christus commendat, non pertineret ad feminas (his enim non competit Evangelii prædicatione); sed ad solos viros, eosque paucissimos, nimirum verbi divini prædicatores; quod repugnat ipsi Calvino, qui supra num. 18. et 19. professionem cælibatus etiam feminis, sed senioribus permittit. Deinde est contra communem sententiam Patrum, qui hic præmium vitæ æternæ intelligunt. Hieronymus L. 4. contra Jovinianum, n. 12. exponens hæc verba, Proponit, inquit, ἀγοδοῦτης πρᾶξιον, invitāt ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamitat: Qui sitit, veniat et bibat. D. AUGUSTINUS L. de sancta Virginitate, cap. 23. Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare seipsum propter regnum caelorum: et contra humana vanitatem impia temeritate contendit (notent hoc hæretici), eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugialium devitare, in regno autem caelorum amplius quidpiam cæteris non habere. CHRYSOSTOMUS homil. 63. (al. 62. n. 3.) in Matth. His omnibus ad optandam eligendamque virginitatem inducit. Possibile namque id esse hominibus, hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, si aut a natura eunuchus esses, aut injuria hominum sic effectus: quid faceres, cum et hujusmodi voluptate careres, et nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantesque coronas habebis, si ita vives, quemadmodum sine aliquo præmio illi, etc. D. BASILIUS L. de vera Virginitate, n. 57. de istis spationibus loquens: Ipsi semet propter regna caelorum ad virginitatis præclarum certamen exercent: conjugiumque et simul omne seculum, ejus servandæ causa, contemnunt, regnum caeleste cum sudore et gloriosis laboribus capessunt. Omitto cæteros; omnes enim idem docent.

3°. Colligitur virginitatem præponi omnibus, illamque servare, per gratiam Dei esse in nostra potestate: omnes enim ad illam invitāt, cum ait: Qui potest capere, capiat; sicut omnes invitāt ad fidem et doctrinæ suæ considerationem, cum ait: Qui habet aures audiendi, audiat. Ita docent Patres omnes, Hieronymus et Chrysostomus in verbis allatis, et idem Chrysostomus homilia illa 63. (al. 62. n. 3. 4.) explicans illa verba: Qui potest capere, capiat. Ita, inquit, magis animat atque incendit, vel quia magnitudinem virtutis ostendit; vel quia inestimabili misericordia sua nobis rem in necessitatem legis concludere. Et ad hæc, possibile id esse monstrat, ut eligendi cupiditas crescere possit. Deinde objicit: Si electionis opus id est, inquires, quo modo dixi: Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Respon-

det: Ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut sorte datam necessitatem suspiceris; his enim datum est, qui sponte id eligunt; quod ideo dicit, ut ostenderet superiore auxilio nobis opus esse; quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac lucta superiores evadere; solitus quippe est, quando res ardua proponitur, uti hoc modo dicendi. Similia habet Cyprianus L. de habitu Virginum: Basilius L. de vera Virginitate, et alii, qui docent generatim omnes ad continentiam invitari.

Dices: Si omnes id possunt capere, quo modo dicit Dominus: Qui potest capere, capiat?

R. Capere hoc loco est practice intelligere, id est, judicare hoc sibi expediens esse ad salutem, ita ut affectus quoque in id trahatur. Itaque non omnes possunt capere, nimirum potentia propinqua et sufficiente: quia non omnes satis sunt instructi ut tantum bonum intelligant, nec divinitus excitati ut illud ament; omnes tamen possunt capere potentia remota, quæ in actum reduci valeat, si velint; omnes enim (de Christianis loquor) cum audiunt virginitatis fructus prædicari, possunt petere a Deo ut illuminentur, et illam valeant amplecti. Simili modo, omnes qui audiunt fidei prædicationem, possunt credere, quamvis fides non minus sit donum Dei, quam continentia; cur autem tali modo loquendi utatur, supra explicatum ex Chrysostomo.

Eadem veritas probari potest ex 1. ad Corinth. 7. ubi multa in hanc sententiam habentur. Apostolus enim questionibus Corinthiorum respondens, dicit: 1°. Bonum est homini mulierem non tangere; unde refert Hieronymus; ergo malum est tangere, id est, minus bonum. Nec obstat quod subdit Apostolus: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Non enim vult dicere ut quisque propter fornicationem ducat uxorem; alioquin ut recte Hieronymus ait: Hac excusatione libidini fræna laxasset, ut quotiescumque uxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur: sed suam, inquit, habeat, id est, sua utatur, quam habebat antequam crederet, quod sequentibus verbis fusiis explicat: uxori vir debitum reddat, etc. 2°. Volo omnes vos esse sicut me ipsum, id est, opto vos omnes esse cælibes; præfert ergo cælibatum conjugio. 3°. Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Hic rursus cælibatum præfert. 4°. De virginibus præceptum Domini non habeo (nimirum ut maneant in virginitate); consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Nec obstat quod subdit: Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem; quasi virginitatem præferat propter necessitates hujus vitæ: nam per instantem necessitatem intelligit necessitatem moriendi quotidie impendentem, et vitæ hujus brevitate, ut ipsemet paulo post explicat, cum ait: Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, etc. ut ergo tempus redimamus, ut breve illud incertumque spatium vitæ, quod nobis superest, saluberrimè expendamus, nobis utilissima est virginitas. 5°. Solutus es ab uxore, noli querere uxorem, etc. 6°. Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit. 7°. Beatior erit, si sic permanserit (nimirum libera a viro) secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

Denique probat id ipsum Apostolus hac ratione; Mulier innupta et virgo

cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat viro, etc. ubi rationem affert cur virginitas matrimonio sit præstantior: nimirum quia illa liberat hominem vinculis seculi et præbet facultatem perfecte serviendi et vacandi Deo, hoc vero seculi vinculis astringit, et istam facultatem eripit.

Idem probatur Apocalypsis 14. *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Ubi insinuatur eximium quoddam præmium præparatum virginibus, quod aliis non dabitur; quem locum eleganter tractat AUGUSTINUS L. de sancta Virginitate, cap. 27. 28. et 29. et HIERONYMUS supra.

Prob. II. Ex Patribus, quorum testimonia sunt infinita, nec hæretici diffidentur. Vide AUGUSTINUM, et HIERONYMUM locis citatis, CYPRIANUM de habitu virginum, AMBROSIUM L. 1. de Virginibus, BASIL. de vera Virginitate.

Prob. III. Ratione. 1º. Conjugium per se non est bonum virtutis, sed naturæ, et indifferens, per se nulla laude dignum. Unde HIERONYMUS: *Non peccat, inquit, si ducit uxorem; non tamen bene facit, si duxerit: intellige non bene facere per se loquendo, nempe si nihil aliud quam ipsum matrimonium, ejusque commoda, voluptates et sobolem spectaverit, ut passim homines solent: nam nec amor sobolis et posteritatis per se est virtutis, sed naturæ tantum affectus: unde omnibus communis; et nemo inde præcise laudem meretur.* Idem colligitur ex L. 3. hypognost. ubi inter cætera quæ de bono naturæ oriuntur, et adiaphora censentur, numeratur *velle ducere uxorem.* Virginitas vero est bonum honestum, eximie virtutis objectum, adeo ut apud omnes gentes semper in admiratione fuerit habitum, quasi humanam conditionem superans, et soli numini dicandum, ut constat de Vestalibus Romanorum, de Bonziis Japonensium et Sinensium, de Monachis Turcorum.

2º. Matrimonium quoad usum et inclinationem convenit homini secundum portionem inferiorem, qua similis est brutis: virginitas autem convenit homini magis secundum portionem superiorem, qua similis est angelis. Etsi enim integritas incorruptionis sit in carne; inclinatio tamen ad illam et affectus non inest carni, sed spiritui; neque est naturalis, sed supernaturalis, et cælestis, ut pulchre explicat AMBROSIUS L. 1. de Virginibus. Unde similes facit angelis, juxta illud Domini, Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in celo.* Et D. AUGUSTINUS L. de sancta Virginitate cap. 13. n. 12. *Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia tori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant: hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est; et in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis, etc.*

3º. Actus proprius et præcipuus matrimonii habet conjunctam maximam verecundiam: unde etiam requirit secretum; nec quisquam est tam impudens, quin testes omnes, famulos, cognatos, paranymphos, etiam suos liberos, qui sunt ipsius matrimonii fructus, abesse velit, quando illi actui dat ope-

ram; ut docet D. AUGUSTINUS L. 14. de Civit. cap. 18. et 20; quod est evidens signum, in hoc opere inesse turpitudinem et dedecus, illudque minus decere hominem, qua homo est: non enim nisi de re turpi et dedecorosa erubescimus. Ratio est, tum quia præterquam quod iste actus convenit homini, qua parte similis est brutis, membra in illo non obediunt rationi: de qua inobedientia, cum sit pœna peccati, inflictæ propter inobedientiam mentis erga Deum, erubescit animus; ut docet D. AUGUSTINUS dicto L. 14. c. 17. et sequentibus. Quanquam non dubitaverim, etiam in statu naturæ nudæ talem verecundiam fuisse futuram. Turpe enim est animo, carnem suam regere non posse: tunc tamen non fuisset pœna peccati, sed naturæ imperfectio. Deinde quia in actu illo *pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruitur*, ut AUGUSTINUS ait. Indecorum autem est menti, ita a carnis voluptate vinci, ut quasi sui compos, sui que juris non sit.

4º. Matrimonium implicat hominem voluptatibus carnis, quæ maxime mentem a studio orationis et rebus spiritualibus impediunt; ut enim D. AUGUSTINUS L. 14. de Civ. Dei c. 16. docet, illa voluptas hominem intrinsecus et extrinsecus sibi vindicat, totumque commovet, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto: unde animus efficitur carnalis, plenus cogitationibus et affectibus carnalibus. Itaque Apostolus 1. ad Cor. 7. monet abstinere ab usu conjugii, quando orationi vacandum. Et HIERONYMUS, *Oro te, inquit, quale illud bonum est quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? quandiu impleo mariti officium, non impleo Christiani, etc.*

5º. Implicat sollicitudinibus hujus seculi. Primo, ut alter alteri placeat. Secundo, ut ipsi cum familia honorate inter suos vivant. Tertio, ut proles decenter educent. Quarto, ut amplam hæreditatem illis relinquunt: quibus in rebus videmus conjuges passim adeo occupari, ut vix dimidiam horam per hebdomadam servitio divino impendere queant. Colligitur ex Apostolo supra. Declarat hoc D. BASILIUS L. de vera Virginitate n. 23.: *Quæ, inquit, mortali connubio conjuncta est, ad suam ipsius curam, viri quoque altera adjecta, geminam in una anima ex conjuncto sibi corpore sollicitudinem necessario sustinet: nec ea unius tantum corporis causa laborat, sed in una anima, et ad suum, et ad viri corpus curandum jugiter intenta dividitur. Ubi vero filios post cubiculi solemniam, et secreta commercia parturire, ac in lucem edere cœperit, per unumquemque nascentem animo scinditur, et præsentibus miseriis, nascituri cura semper adjicitur, etc.*

6º. Affert intolerabile onus vivendi semper cum eodem conjugem, et ei in officio conjugali obsequendi. Nisi enim summa sit morum consensus, diuturna illa cohabitatio parit mutuam fastidium: et multæ incurrunt offensiones, quæ animos divellunt, et veluti antipathiam quamdam ingenerant, ut sæpe mutuam conspectum vix ferre possint: nihilominus matrimonii nexu tanquam compedibus vincti, non possunt se invicem effugere, sed coguntur semper una manere, una vivere, comedere, bibere, dormire, et vel invitati in actu conjugali sibi mutuo obsequi; ut merito dixerit Sapiens, Ecclesiastæ 7. 27. *Inveni amariorum morte mulierem.*

Ex his discriminibus possumus sic ratiocinari. Id est melius et Deo gratius, per quod homo magis avocatur a voluptatibus carnis et curis hujus seculi: sed virginitas est talis; ergo est præstantior et gratior Deo quam conjugium.

Secundo, id est melius et Deo carius, quod maxime præbet facultatem orandi, et Deo serviendi: sed virginitas talem facultatem maxime præbet; et matrimonium eandem impedit, ut patet ex dictis, et docet-expresse Apostolus 1. ad Corinth. 7. ergo, etc. Tertio, id est melius et Deo carius, per quod homo propter Deum abstinere a maximis carnis voluptatibus, et se totum Deo consecrat, quam id per quod se totum rebus seculi et voluptatibus immergit: atqui talis est virginitas; ergo, etc. Denique, id est melius, quod Dominus noster, quod Apostoli, et præcipui Sanctorum complexi sunt: sed hi complexi sunt virginitatem, vel si aliqui eorum juncti erant matrimonio, abstinerunt ab usu conjugii, ut Hieronymus de Apostolis ait; ergo, etc.

137. *Obj. I.* Genes. 1. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Hic Dominus videtur dare præceptum conjugii, ac proinde vetare virginitatem. Confirmatur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.*

R. 1^o. Præcepto illo Genesios non imponi obligationem singulis, sed primo et per se ipsi multitudini, seu generi humano; unde non tenentur singuli illud exequi, sed sufficit satis multos esse in genere humano, qui huic officio non desint, quantum nimirum opus est ad generis humani propagationem. Ita D. THOMAS art. 4. ad 1. Et sane si hoc argumentum aliquam vim haberet, sequeretur, Christum Dominum, utrumque sanctum Joannem, et præcipuos Sanctorum contra præceptum divinum fecisse.

R. 2^o. Illis verbis non tam significari præceptum, quam benedictionem, per quam tribuit eis generandi facultatem et fecunditatem; quod aperte indicant illa verba: *Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini piscibus maris,* etc. Sunt ergo verba benedictis, fecunditatem et dominium tribuentis, non præcipientis. Simili modo paulo ante benedixit piscibus et avibus, dicens: *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram;* vide D. AUGUSTINUM L. 14. de Civ. Dei c. 21. Fateor tamen, initio mundi non vi illius præcepti, sed jure naturali ob necessitatem propagandæ naturæ singulos ad matrimonium contrahendum fuisse obstrictos: qua necessitate, propagato jam satis humano genere, cessante, cessavit etiam obligatio illius præcepti; sicut cessante necessitate et inopia pauperis, desinit obligatio præcepti naturalis eleemosynæ. *Desinit,* inquam, non in actu primo; (manet enim semper habitualis obligatio pro tempore, quo posset incidere necessitas), sed in actu secundo; quia hic et nunc non tenemur ad opus. Pari modo non tenemur hic et nunc ad matrimonium, nisi forte posita tali necessitate, qualis erat initio mundi, et statim post diluvium.

Ad locum Apostoli respondeo, illum loqui de junioribus feminis, maxime viduis, quæ se non continebant; ut patet ex illis verbis: *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia;* id est, ne male vivendo et fornicando dent occasionem gentilibus male loquendi de Christianis, et eorum religionem calumniandi; has expedit nubere, quia id melius est, quam sub specie cælibatus mala vita religionem Christianam infamare.

Obj. II. Id est melius, quod plus boni confert mundo: sed matrimonium plus boni in mundum adducit, quam virginitas: parit enim multas proles, quæ postea piæ institutæ multa ad gloriam Dei acturæ sunt, et Deum perpe-

tuo in beatitudine laudaturæ. Confirmatur, quia totum bonum generis humani est ex matrimonio: sublato enim matrimonii officio periret mundus, et omnia bona opera conciderent.

R. Si hoc argumentum valeret, probaret etiam, opus matrimonii omnibus aliis operibus bonis esse præferendum; quia sine illo cætera omnia concident: prius enim quisque debet nasci, quod fit per usum matrimonii, quam possit aliquid boni operari; unde etiam expediet ducere quam plurimas uxores, ut plurimæ proles suscipi possint, quæ postea salvæ fiant; vide D. AUGUSTINUM de sancta Virginitate c. 9. ubi hoc argumentum solvit. Primum igitur negari potest major in sensu ad nostrum propositum accommodato. *Melius* enim hic vocamus, quod est magis salutare, magisque expediens homini ad salutem: quo modo non semper est melius, quod plus boni confert mundo, ut patet in cura pastorali, in administratione regni, aliisque functionibus publicis, per quas etsi multum boni possit fieri in mundo, tamen melius et perfectius est servire Deo in religione. Sic qui pecunia sua emit multos servos ethnicos ut eos faciat Christianos, non audebit pecuniam suam comparare muneri sacræ virginitatis, ut AUGUSTINUS ait. Id enim melius, quod hominem magis cum Deo jungit, eique magis gratum efficit: quale non est matrimonium, sed virginitas. Secundo, negari potest minor: matrimonium enim non plus boni confert mundo, quam virginitas, sed multo minus; matrimonium enim per se solum producit peccatores et filios iræ; virginitas autem producit eosdem in esse Christiani et filii Dei: sanctificatio enim illorum per sacramenta, et pia institutio fit per ministros Ecclesiæ, qui virginitatem seu cælibatum colunt. Deinde plus boni est vacare Deo, ejusque obsequio totum esse addictum, quod facit virginitas, quam vacare liberorum procreationi; minimum enim bonum divinum majoris est momenti, quam totum bonum creaturarum. Denique Deus, mundo jam satis repleto, non querit qui filios hominum et peccatores procreent, quorum satis magnus est numerus, sed qui illos convertant et regenerent in filios Dei; ad quod aptissima dispositio est virginitas, non matrimonium: sicut enim matrimonium est institutum ad replendam terram, ita virginitas ad replendum cælum, ut Hieronymus ait L. 1. contra Jovinianum, et TERTULLIANUS L., de monogamia.

Ad confirmationem. Bonum virtutis est ex matrimonio solum remote, quatenus natura supponitur gratiæ: unde non potest ex hoc colligi ejus perfectio; sicut nec perfectio carnis aut sensuum externorum, ex eo quod sine his concideret mundus, et non possemus mereri. Addo, virginitatem esse præferendam per se, et quamdiu non est periculum, defectu conjugii periturum mundum.

Obj. III. Nihil assumendum in cultum, nisi quod Deus præcepit; juxta illud Deuteronomii 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas:* sed Deus virginitatem non præcepit; ergo non potest assumi ad colendum, et gratum obsequium Deo exhibendum, quinimo est superstitio et *ἰθρολογική.*

R. Majorem esse non solum falsam, sed etiam fatuam, et omni specie veritatis destitutam; ut alibi ostensum est.

Obj. IV. Nemo potest continere nisi habeat donum continentiae; Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est;* et Sapientiae 8. *Nemo*

potest esse *conticens*, nisi Deus det; sed hoc donum non omnibus datur; ergo stulte facit, qui continentiae se addicit, nesciens an hoc donum habeat; stultum enim est se obstringere ad id, quod nescit an possit implere.

R. Si hoc argumentum valeret, nemo etiam posset amplecti fidem Christi, nisi ante sciret se donum fidei et perseverantiae habere: nec quisquam posset jungi matrimonio, nisi sciret se donum continentiae conjugalis habere, quae non minus est donum Dei, quam continentia virginalis juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*

R. Sicut auxilium amici dupliciter haberi potest, nimirum in actu primo, cum amicus est paratus ferre opem, si rogetur; et in actu secundo, cum reipsa juvat: ita donum continentiae dupliciter haberi potest in actu primo, seu in paratione divina, et in actu secundo. Omnes igitur qui cupiunt continere, habent donum continentiae in actu primo: Deus enim ex parte sua paratus est illos juvare, ut reipsa continentiam praestent; ac proinde in potestate illorum est habere donum continentiae in actu secundo, si ex parte sua collaborare, et idonea remedia adhibere voluerint; ut docet D. CHRYSOSTOMUS supra homilia 63. in Matthaeum, HIERONYMUS, in caput 19. Matthaei, AUGUSTINUS L. 6. Confessionum, cap. 11. in fine.

Remedia autem quae ex parte sua adhibere debent, potissimum sunt tria; *oratio, jejunium, et feminarum devotio*: cum enim tentationes carnis orientur vel ex suggestionem diaboli, vel ex redundantia cibi et potus, vel ex feminarum aspectu et consuetudine; contra primum adhibenda oratio, sub qua comprehendimus etiam Sacramentorum, praesertim sanctissimae Eucharistiae, usum: hoc enim est *frumentum electorum, et vinum gemmans virginis*, Zachariae 9. Contra secundum, jejunium. Contra tertium, vitatio aspectus et nimiae familiaritatis feminarum; quibus ex parte nostra adhibitis, non deerit donum continentiae in actu secundo, quo facili negotio continentiam praestemus.

CAPUT III.

DE GULA, EBRIETATE, ET LUXURIA.

Haec vitia virtutibus superiore capite expositis opponuntur; gula abstinentiae; ebrietas sobrietati; luxuria castitati.

DUBITATIO I.

QUID GULA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quest. 148.

138. Hoc nomen dupliciter accipitur: 1°. Generalius, ut etiam comprehendat inordinationem, quae contingit in potu: et hoc modo dividitur a quibusdam in *comessionem et ebrietatem*, tanquam in species; quarum

meminit Apostolus ad Romanos 13. *Non in comessionibus et ebrietatibus.* Puto tamen *comessionem* ibi amplius involvere, *κῶμος* enim (qua voce ibi utitur Apostolus) significat lascivam computationem cum impuro cantu, aliisque temulentis dictis et factis; ut ex scholiis Photii, Theophylacto, et aliis auctoribus Graecis constat. Hoc apud Latinos vocatur *comessatio*, non tam a comedendo, quam a *κωμάζειν*, quod est computationi lascivae deditum esse. 2°. Stricte, ut opponitur virtuti *abstinentiae* stricte acceptae: et hoc modo sicut abstinentia est virtus, quae facit nos moderate appetere et uti cibo, et potu non inebriante; ita *gula* est vitium in appetitione et usu delectationis cibi et potus debitum modum, id est, praescriptum rationis excedens.

Hoc autem fieri potest quinque modis, ut pulchre ostendit D. THOMAS art. 4. ex D. GREGORIO L. 30. Moralium c. 27. (al. 18. n. 60.) qui hoc versiculo continentur, *Præpropere, laute, nimis, ardentem, studiosam*. Nam excessus spectari potest vel circa ipsum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius sumptionem. Circa cibum, vel ratione substantiae, vel qualitatis, vel quantitatis.

Ratione *substantiae* est excessus, cum appetuntur cibi pretiosiores, quam conveniat statui; ut si religiosus, contemptis aliis cibis, nolit comedere nisi perdicis, phasianos, ficedulas. Hoc insinuat per *laute*.

Ratione *qualitatis*; ut cum in condimentis et studio praeparandi est excessus: ut si nolit comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis sit conditum: Hoc indicat *studiosam*.

Ratione *quantitatis*; cum nimium comeditur, id est, plus quam natura requirit: qui modus est frequentissimus.

Circa ipsam *sumptionem* potest esse excessus, vel ratione *modi*; ut si quis voraciter comedat, cibos non mansos devorando, sicut canes, et leones. Hoc significat *ardentem*.

Vel ratione *temporis*, debitum tempus praeveniendo; vel etiam saepius quam deceat comedendo. Quod indicat *praepropere*.

Differunt autem haec inordinationes specie, secundum D. THOMAM; unde etiam diversae in diversis reperiuntur: alii enim solum peccant in pretiositate ciborum, quia nihil illis sapit, nisi peregrinum et sumptuosum: alii in quantitate: alii in voracitate: alii in crebritate sumendi: alii in pluribus horum: alii in paucioribus. Expressit hos quinque modos D. GREGORIUS loco cit. his verbis: *Quinque modis nos gulae vitium tentat: aliquando namque indigentiae tempora praevinit: aliquando lautiores cibos quaerit: aliquando quae sumenda sunt, accuratius praeparari appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit: aliquando in ipso actu immensi desiderii aliquis peccat.*

139. *Petes*, Utrum his modis omnes gulae species contineantur; videntur enim esse aliqua aliae: nam qui comedit carnes tempore vetito, peccat peccato gulae; similiter qui comedit ante communionem: et tamen nullo horum modorum peccant. Idem videtur de illo qui loco indebito, v. g. in templo, vel in foro comedit; item qui cibis noxiis utitur; denique qui in carne humana, vel carbonibus, aliisque cibis execrandis delectatur.

R. Illas solas esse gulae species, quae constituuntur per circumstantias inducentes diversas inordinationes, oppositas virtuti abstinentiae. Tales autem